ARISTOTELIS LIBER DE MVNDO AD ALEXANDRVM MACEDONIAE REGEM,

Gulielmo Budæo interprete.

7

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVTETIAE,

Ex officina Michaëlis Vaſcoſani, uia Iacobæa ad inſigne Fontis.

M. D. LIII.

ARISTOTELIS LIBER DE MVNDO.

MIHI quidm ſæpe diuina quadã res, Alexander, admirationéque digna uiſa eſt philoſophia: præcipuè uerò ea in parte, in qua ſola ipſa ſublimè ſeſe tollens ad contẽplandas rerũ naturas, magno illic ſtudio cõtendit exiſtentẽ in eis ueritatem pernoſcere. Et cum cæteri quidẽ mortales altitudine ipſa rei atq; magnitudine deterriti, eo inſtituto abſceſſiſſent: dignum id inceptum eſſe duxit philoſophia, quod intrepidè ipſa, nec dubitanter aggrederetur. Earum etiam rerũ diſciplinam ſibi tum cognatiſsimam, tum maximè decoram arbitrata eſt. Siquidem cum per rerum naturam negatum hoc eſſet homini, cæleſtem ut in locum corpore ſe cõferret, útq; ueluti è terra peregrè proficiſcens, locum illum oculis perluſtraret, id quod ſtolidi illi Aloidæ quondam facere inſtiterũt: eo factum eſt, animus ut humanus huius uiæ ducem nactus intellectum, peregrinabundus illuc importaretur. Ex quo euênit, uiã cum inueniſſet philoſophia laſsitudinis uacuam atq; laboris, res ut inter ſe ſitu longiſsimè ſeiunctas, una intelligentia complecteretur, facilè nimirũ eas res noſcitans, queis cum ſibi naturalis intercedit neceſsitudo. Eadẽ etiam cum diuino animæ oculo diuinarum rerum naturam comprehẽdiſſet: hominibus ſubinde eas interpretari cœpit, quaſíque antiſtitis officio perfungi. Id enim libens philoſophia faciendũ ſuſceperat, ut quas res cunq; præcipuæ commendationis eſſe exiſtimaſſet, eas, quo ad eius fieri poſſet, inter homines erogaret: quibus utique ipſis abunde atque prolixè conſultum ipſa cupiebat. Quapropter

iſtos miſerari quiuis iure poßit ut puſilli animi ſcriptores, res quaſlibet uulgóque expoſitas ſumma admiratione proſecutos, qui nobis unius loci naturam, aut urbis cuiuſdam formam ſitúmque, aut magnitudinem fluminis, aut denique amœni mõtis aſpectum deſcribere inſtituerunt: cum interim magnificè de ſemetipſis ſentiãt ob exilem quampiam naturæ perceptionem: cuiuſmodi nonnulli magno illi quidẽ ſtudio fecerunt, accurata ut dictione deſcriberent, hic Oſſam *montem, ille* Nyſſam: *alij* Coryceum *ſpecum, alij quiduis eorum quæ inter orbis particulas cenſentur.* Id *quod ideo euenit, quòd illis maiora uidiſſe nõ contigit: mundũ ſcilicet, & præcipuas eius partes.* Haudquaquam *enim illi tantopere qualibet admirarentur, ſi hiſce contemplandis incubuiſſent legitima contentione: omnia uerò & parua & floccifacienda duxiſſent, duntaxat præut extat horum excellentia.* Proinde *dicere ipſi aggrediamur de iis omnibus uniuerſim collectis, quámque fieri poteſt maxime theologica commentatione ediſſerere, quænam ſit cuiuſque horum natura, ſitus, motus.* Tibi *uerò, utpote imperatorum præſtãtiſsimo, hoc quoque decorum conſentaneúmque eſſe arbitror, cum maximarum rerum commentationem animo conſectari, tum uerò ex philoſophiæ ſtudio nihil iam non grande animo agitare: optimates etiam uiros iis rebus inuitare, quibus rebus ipſi ab eadem munificè prædito eſſe contigit.*

Mundus eſt cõpages è cælo terráque coagmentata, atq; ex iis naturis quæ intra ea continentur. Dicitur *etiã aliter mundus, ordo & digeſtio uniuerſorũ, quæ à* Deo *& per* Deũ *aſſeruatur.* Huius *ſitũ medium immotum, & ſtabilem terra uitæ fœcunditate prædita, ſortita eſt: animantium quidem illa omnifariam diſtinctarum ſedes & parens.* Huius *uniuerſitatis*

tis ſuprema pars omnis, omnem in partem finita eſt & terminata: cuius id quod in celſiſſimo loco ſitum eſt, Cælũ dicitur, dei domicilium. Hoc cum diuinis corporibus plenum ſit, quæ Sidera nos appellare ſolemus, motúq; ſempiterno agatur uno circumactu, orbíſque ductu eodem: perenni utique in æuum tenore rapta ſecum illa circumagit corpora, ad numerum, in mo rémque præſultoris. Vniuerſi autẽ mundi cælique globoſa (ut dictum eſt) forma compacti, iugique uertigine exagitati, duo eſſe puncta neceſſe eſt inter ſe è regione obuerſa, itidem atque ſi globus in torno circumagatur: ſtabilia quidem illa, globúmque continentia: circa quæ mundus uniuerſus uertitur. Hos Vertices appellant, aut Cardines. Per quos ſi lineam rectã ab uno ad alterum porrectam intellexeris, quam nonnulli Axem uocitant: erit hæc utique mundo linea dimetiens: ita ut terram in medio, ambos autẽ cardines habeat pro terminis. Qui quũ ipſi fixi ſint, & immoti: alter eorum ſemper ſublimis apparet ſuper uerticem, ad tractum cæli Aquilonarem, ab Vrſa appellatus Arcticus. At infra terram alter ſemper conditus circa tractum Auſtralem, Antarcticus dictus eſt, ut contrarius Arctico. Cæli porro ſiderúmque ſubſtantiam appellamusætherẽ: non quidẽ ideo quòd ignita flagret ipſa, ut aliqui cenſuerunt, plurimum utique aberrãtes circa potentiam illam maxime ab ignea natura adhorrentem: origine uero huius uocabuli inde ducta, quòd ſemper æther currat motu circũductili: cum ſit illud elemẽtum à quatuor illis diuerſum: tum diuinum, tum interitus expers. Eorum uero ſiderum quæ intus cohibentur, ea quæ errationis neſcia ſunt, cum cælo circumferuntur, eaſdem utique ſedes, poſitúſque eoſdem tenentia. Quorum medius circulus (cui Signifero nomen eſt) duos per orbes tranſuerſus cæ-

lum cingit: qui à cõuerſionibus ipſi Solis, Tropici, *quaſi cõuerſionales appellati ſunt : in duodecim ille quidem regiones totidem ſignorum diuiſus.* At *uero quæ erratica dicuntur: nec eadem ipſa celeritate cum prioribus moueri ſuapte natura comparata ſunt, nec inter ſe inuicem, ſed in aliis atq; aliis orbibus: ita ut orbium ipſorum partim propius terram accedant, partim ſublime ferantur.* Et *ſtatariorum quidem numerus iniri prorſus nequit ab hominibus: tametſi omnia eadem in ſuperficie moueantur, quæ unica eſt totius cæli.* At *uero errabundorum numerus ſeptenario collectus, in totidem orbibus ſitus eſt deinceps ſubſtitutis : ita ut ſubinde inferior ſuperiore minor ſit, ſeptémq; orbes ſeſe complectentes inuicem atque coercẽtes, à globo denique ſiderum inerrantium comprehendantur.* Huic *porro globo contiguam habet ſemper poſituram,* Phænontis *ſimul & Saturni circus dictus.* Cui *proximus eſt* Phaethontis: *qui &* Iouis *appellatur.* Poſt *hunc ſequitur* Pyrois : Herculis *idem* Martíſque *appellatus.* Ab *hoc rurſus eſt* Stilbon: *qui ſacer* Mercurio *eſſe creditur: à nonnullis etiam* Appollini. *Secundum quem* Luciferi *orbis eſt: quem* Veneris *nonnulli orbem, quidã* Iunonis *uocant.* Ab *eo eſt orbis* Solis: *& denique* Lunæ, *nobis citimus, ad terram uſque fines ſuos proferens.* Aether *uero cum diuina contineat corpora, ratas etiam uices motuum complectitur.* At *uero ætheræ diuinæque naturæ, quam certa lege cõſtare demonſtrauimus, cõſtitutíſque uicibus, mutabilitatis etiam immunem, atque in aliam aliámque ſpeciem conuerſionis: confinis eſt natura patibilis prorſus & uertibilis, atque (ut in uniuerſum dicã) ſolubilis, & obnoxia.* Cuius *etiam ipſius principia obtinet ſubſtantia tenuitate particularũ prædita, flammulíſque ignita: quas ætherea natura magnitudine*

ſua

ſua excitat, & motus celeritate. I*am uero in natura ipſa ignita, eadémque incondita appellata atque incompoſita, tum fulgores emicant, & iacula traiiciuntur flagrantia: tum trabeculæ, foueæ, & crinitæ fixæ uiſuntur: & ſæpe reſtinguũtur.* H*anc naturam excipit aer illi ſubſtratus: ſuopte ille quidem ingenio caligine & gelu permixtus, cæterum illuſtratus agitatione atque ſuccenſus, unde calorem cõcipit, & claritatem.* I*n hoc autẽ ipſo uim patibilem ſortito, omnifariámq; in aliam aliámq; naturam commeare natura cõparato, nubes concreſcunt: imbres cum ſtrepitu decidũt, niues, pruinæ, & grãdines: flatus etiam uentorum tempeſtatúmq; cientur: ſimul tonitrua & fulgetra exiſtunt: fulmina inde caſitant: ſexcentæ denique ibidem conflictationes aerie opacitatis fiunt.* A*b aeria porro natura,* T*erra protinus &* M*are ſitum habẽt fixum & affirmatum: ſtirpibus illa quidem animantibúſque ſcatens: fontibus etiam & fluminibus, partim per ipſam lapſus ſuos implicantibus, partim aquas ſuas in mare eructantibus.* I*nſuper ipſa diſtincta ſimul innumerarum herbarum indidem enaſcentium uarietate, fructificantiúmque ſimul montium uerticibus, nemorum opacitatibus, urbiúmque frequentia, quas animantes ſapientiæ participes, homines ſcilicet, cõdiderunt: inſuperque inſulis maritimis, atque continentibus.* O*rbem uero terrarum hominum fere ſermo in inſulas diuiſit, & continentes: ſcilicet ignorantium, uniuerſam ipſam terram inſulam eſſe unicam,* A*tlantici maris ambitu circundatã.* M*ultas autẽ & alias longe quidem illas ſummotas, ſed tamen ueluti dirimente freto huic ipſi eſſe obuerſas, non abſimile ueri eſt, partim hac maiores, partim etiam minores: ſed quarum nulla præter eam ſub proſpectum noſtrum ſita ſit.* N*am quod inſulis noſtris accidit,*

undique ut noſtra maria eas alluant: idem orbi quoque huic contigit, rationem inſulæ ut obtineat Atlantico *mari cinctæ.*

Complures item alij terrarũ orbes eadem poſitura conſtantes, inſulæ naturam habent in uniuerſo mari ſitæ, quod latiſſime patet: eorúmq; nonnulli prægrandes, prægrandibus quoq; ipſis maribus circũfuſis. Enimuero *humoris uniuerſi naturam finitimam merito eſſe cenſeas naturæ animabili & aeriæ: ita ut ipſa innatabũda exiſtere terram faciat per quaſdã ſaxoſas eminentias, quas habitabiles uocamus: poſt quam protinus in imis mũdi partibus & ſummerſis, atq; in medio maxime mũdi, uniuerſa iam terra ſtabiliter defixa compreſſáq; ita conſtitit, ut immota permaneat atque illabefactabilis. Atq; hæc eſt mundi uniuerſitas, quam infernam appellamus. Quinq; igitur hæc elementa in regionibus totidem globoſe incubantia, mundum ipſum ita totum coagmentarunt, minor ut deinceps atque minor regio à maiore cohibeatur: terra (uerbi gratia) ut ab aquæ globo, aqua ab aeris, hic ab ignis, ab ætheris denique globo ignis coerceatur: cum interim ſupremam regionẽ,* Deo*rum fecerint domicilium: infimã, animalium in diem uictitantium.* Huius *porro id quod liquore conſtat, flumina & ſcaturigines & maria uocare cõſueuimus: quod aridum eſt, terram & continentes inſuláſque nominamus.* Iam *inſularum nonnullæ grandes ſunt, ueluti hæc cuncta habitabilis à nobis iam dicta eſt, aliæque quas ingẽtia maria undis ambiunt circumfluis: aliæ minores, nobis notæ, & inteſtinæ. Quarum rurſus quædã memorabiles, ut* Sicilia, Sardinia, *Cyrnus, Creta,* Eu*bœa, Cyprus, &* Lesbos*: quædam longe exiliores, tum Cyclades, tum* Sporades*, tum aliæ aliis nominibus nuncupatæ.* Por*ro autẽ pelagus quod extra orbem nobis habitatũ fuſum eſt,*

&

& Atlanticum dicitur, & Oceanus: à quo ipſi circunluimur: qui in faucibus ipſe anguſtis, quæ uergunt ad Occidentem, ueluti uia patefacta, qua parte Herculis columnæ uocitatæ ſunt: eliſo fluxu irrumpẽs, mare interius efficit: ferme ut dicere eum poßis in portũ ſe recipere. Senſim deinde amplior infunditur: ſinus interea ingentes complectens inter ſe contingentes: anguſtis etiam ceruicibus in fauces ſeſe comprimens, uicißimque latius expatians. Ac primùm quidẽ inſinuari dicitur dextrorſus ab Herculis columnis intro nauigantibus, circa utranque Syrtim: alteram earum magnam, paruam alteram uocant. At uerò in alteram partem non iam itidem ſinuoſus inundãs, efficit tria maria, Sardoum, Gallicum, & Hadriã. A quibus cõtinuo Siculũ ſequitur, porrectum in obliquum: quod & ipſum excipitur à Cretico. Cretico coniuncta ſunt parte altera Aegyptium, Pãphylium, Syrium: altera Aegeum & Myrtoum. At Pontus uelut antedictis obiectus, atque ex aduerſo protenſus, multis partibus conſtat. Pars eius in intima penetrãs, Mæotis appellatur. Quæ autem ad Helleſpontum uergit, in fauces contracta eſt, quam propõtidem uocant. Rurſus ab ortu Solis in orbem terræ exundans Oceanus infert ſeſe uelut in medium procedens, Indico ſinu Perſicóque perfoſſo finitimum mare rubrum intercipiens. Ad alterum autem cornu ſimul atque oblonga ceruice anguſtáque penetrauit, rurſus amplificatus, Hyrcaniæ fines Caſpiæque amplectitur. Mare uerò quod ſuper Hyrcaniam eſt, uaſtum illum obtinet locum qui eſt ſuper Mæotin paludem. Tum autem qua parte Scythas Celtáſque complectitur, ſenſim aſtringit orbem terrarum aduſque ſinum Gallicum, ſupradictáſque columnas: extra quas Oceanus terram fluctibus ſuis oberrat. Quo ipſo in mari inſulæ duæ ſitæ

ſunt quammaximæ, quas Britãnicas *appellãt,* Albion *&* Ierna*:iis etiam maiores, quas cõmemorauimus ſupra* Celtas *iacẽtes. Queis tamẽ ipſis magnitudine nec* Taprobane *cedit, nec ea cui* Phebol *nomen eſt.* Illa *ſuper* Indos *poſita, ſitu ad terrarũ orbem inflexo: hæc ad* Arabicum *ſinum. Sunt etiã non paucæ ſed exiguæ, circa* Britannicas *&* Iberiã, *quæ quaſi corona cingunt hunc orbẽ, hominũ domicilium, quẽ ſuperius inſulam eſſe diſſeruimus. Huius orbis latitudo quà cõtinens eſt ampliſſima, paulo minus quadraginta millia ſtadiorũ patet: ut quidẽ perhibuerunt authores rectæ & exquiſitæ geographiæ: longitudo ad ſeptuaginta millia.* Diuiditur *porrò in* Europã, Aſiam, *&* Aphricam. Europa *his finibus circunſcribitur:* Herculis *cippis,* Ponti *receſſu,* Hyrcano *mari: ſecũdum quam anguſtiæ* Iſthmi *ſimiles ad* Pontũ *uſq; pertinent.* Nõnulli *tamen ab illo* Iſthmo Tanain *fluuium* Europæ *terminũ eſſe dixerunt.* Aſia *eſt quicquid terræ ſitum eſt ab* Iſthmo *iam dicto, à* Ponto Hyrcanóq; *mari, ad* Iſthmũ *uſq; alterũ qui* Arabicũ *ſinum interiacet & mare interius; illum quidẽ cohibitũ ab eo mari, &* ab Oceano, *qui eum complectitur ambitu. Sunt qui fines* Aſiæ *ſtatuant ſpaciũ quod à* Tanai *protẽditur ad* Nili *uſq; oſtia.* Aphrica *ab* Arabico Iſthmo *ad columnas* Herculis *porrecta eſt: uel ut alij cenſuerũt, ab* Nilo. Nam Aegypti *quicquid* Nili *oſtiis ſeptum eſt, alij* Aphricæ, *alij attribuunt* Aſiæ. Inſuláſque *tribus terræ partibus adiacentes, ſcriptorum partim ut exemptiles ab orbe terrarum recẽſuere: partim ut contributás iis partibus, quibus earum quæq; uicinitate coniuncta eſt.* Proinde *terræ maríſq; naturam ac ſitum huiuſcemodi prodenda cenſuimus: quem habitatum orbem appellare conſueuimus. Quas res autem tum in eo orbe, tum circa eum exiſtere contingit, quibus ille rebus*

quodãmodo

quodammodo afficiatur : earum ipſarum rerum, ut quæque maximè commemorandæ uidebuntur, dicere porro aggrediamur, ſummam quandam colligentes eorum quæ ſunt neceſſaria. Duas igitur exhalationes ab eo ſurſum ferri nouimus in aëra nobis impendentem: tenues illas quidem omnino, nec nobis conſpicuas : niſi ſiquid eſt huiuſcemodi ad tractus Orientales, *& præterea quæ ex amnibus & locis irriguis ſublimia ferri uidentur.* Earum *autem exhalationum altera ſicca eſt, in fumúmque conformata, è terra manans : altera humida, roſidæ expirationis plena, ab humida natura exhalata.* Ex *hac nebulæ, rores, & gelu omne genus, nubes, pluuiæ, niues & grandines oriuntur.* A *ſicca autem illa, uenti & flatuum differentiæ exoriuntur, tonitrúſque & fulgura, turbines & fulmina, aliáque his cognata.* Nebula *eſt expiratio quædam roſida, aquæ nequaquam genitrix: ut aëre craßior ipſa, ſic nube rarior.* Gignitur *uel ex nubis primordiis rareſcentibus : uel ex reliquiis nubis.* Huius *aduerſaria ut eſt, ita eſſe dicitur ſerenitas : nihil aliud ipſa exiſtens, quàm aër nubibus nebuláque uacuus.* Ros *eſt humidum quid è ſerenitate concretum, minutímque delabens.* Glacies *eſt aqua conferta à ſerenitate compactilis.* Pruina *ros eſt concretus. droſopachne compoſito nomine dicta eſt, ros ſemiconcretus, quaſi ros pruinoſus.* Nubes *eſt craſſamentum exhalationum conuolutum, uim habẽs aquæ gignendæ.* Imber *fit expreßione nubis magnopere addenſatæ : tot habens differentias, quotuplex eſt nubis compreßio : quippe quæ remiſſa ſi fuerit, molles ſtirias diſpergat : ſin uehemens, pleniores.* Hocque *appellamus pluuiam, imbris contorta ſtillicidia, cum maiuſcula ipſa, tum uerò iugi tenore caſitantia.* At *uerò nix gignitur denſitate nubium*

friatili: quæ ſimul ac in aquam uerti cœptæ ſunt, in minuta cõtunduntur, cum eo, ut illa contuſio ſpeciem ſpumæ, exactúmque candorẽ: humoris autem qui ineſt, concretio, quíque nondum fuſus eſt, nec rarefactus, rigorem efficiat. Hæc impetu & confertim decidens, *Niphetos appellatur.* Quo *genere uolutim contorto, libramentúmque ex compreſſu capiente ad celeriorem lapſum, fit quæ grando uocatur: cum interea pro fragmẽtorum magnitudine quæ abrumpuntur, tum corpuſcula maiora grãdinis, tum delapſus uiolentiores fiant.* Atque *hæc quæ hactenus dicta ſunt, naturæ ui ab humida expiratione euenire comparatum eſt.* A *ſicca uero tum uentus oriri ſolet, cum à frigore, ita ut fluat, illa truditur: nihil ut aliud uentus ſit, niſi aër multus fluctuans & coactus, qui etiam ſpiritus appellatur: quum alioqui ſpiritus appelletur ſubſtãtia animata, & genitalis in ſtirpibus atq; in animãtibus exiſtens, per omniáque pertinens: de qua nunc diſſerere nihil neceſſe fuit.* Flatus *uerò qui in aëre ſpirãt, uẽtos: auras, expirationes dicimus quæ ex humore prodeunt.* Venti *qui è terra uliginoſa & humefacta prodeunt,* Apogæi, *quaſi terra oriundi: qui è ſinibus proſiliunt,* Encolpiæ, *quaſi ſinuales uocantur: inter quos ipſos, eóſq; qui è fluminibus erumpunt, ex aquíſque ſtagnãtibus, intercedit nonnihil proportionis.* Ecnephiæ *appellantur, qui in fractura nubis, reſoluendáque eius craßitudine, colliduntur inter ſe, quaſi quidam nubigenæ.* Exhydriæ *quaſi aquatores dicuntur, qui cum pluuijs aquis graſſantur impetu & confertim effuſis.* Et *ij quidem qui ab* Oriẽte *iugi tenore perflant,* Euri & Vulturni: *qui ab* Vrſa, Boreæ & Aquilones *uocantur.* Zephyri & Fauonij, *qui ab occaſu: qui à meridie,* Noti *dicuntur &* Auſtri. *Vulturnorum porrò is* Cæcias *dictus eſt, qui naſcitur*

ad ortũ ſolſtitialem: Sub*ſolanus ad æquinoctialẽ: ad brumalẽ* Vulturnus. At *eorum qui ex obuerſa parte prodeunt, quos* Fa*uonios uocamus,* Argeſtes *&* Corus *ab occaſu ſolſtitiali: qui etiam* Olympias *ab aliquibus dictus eſt, & ab aliis* Iapyx. Fauonius *ab æquinoctiali,* Africus *ab hyberno oritur.* At *uero* Aquilonum *is qui* Caciæ *coniunctus eſt, peculiariter appellatur* Aquilo. *Qui autem hunc à uertice ſtatim excipit per* Meridianum *ſpirans,* Septẽtrio *dicitur.* Thraſcias *deinceps à* Coro *ſpirat: quem nonnulli* Caciam *appellauerunt.* Rurſus *ex* Auſtris *is qui à uertice nobis condito ſeſe infert ex aduerſo* Septẽtrionis, Auſter *nominis prærogatiua dicitur. Qui inter hũc &* Vulturnum *eſt,* Euronotus *eſt uocitatus, quaſi dicas* Vulturnauſter. *At qui ſpirat altrinſecus inter* Aphricum *&* Auſtrũ, *hunc alij* Libonotum, *quaſi* Africauſtrum, *alij* Libophœnicem *uocant.* Ventorum *porro quidam flatus rectos, quidam reflexos habent.* Rectos *habent ij qui lineis rectis ſemper graſſari ſolent: reflexos & refractos, ut is quem* Caciam *nuncupant.* Rurſus *quidã hyeme pollent, ut* Auſtri: *quidam æſtate, ut* Eteſiæ *qui dicuntur, id eſt anniuerſarij, cinnum quendã conficientes* Septentrionum *atque* Subſolanorũ. Ornithiæ, *quaſi* Auiarij, *uenti quidam dicti ſunt ex* Aquilonio *genere, uerno tempore inualeſcentes.* Cæterum *è genere uiolentiorum flatuum,* Catægis *nomen eſt flatus ingruentis ſuperne, repentéque euerberantis.* Thyella *flatus eſt præualens, qui repente proſilit.* Lælaps *&* Strobilus *nũcupatur, qui inferne ſurſum uerſus repente conuoluitur.* Anaphyſema *quaſi efflatus terræ, dicitur uentus ſublimem ſeſe rapiens: cum aut è ſpecu altius depreſſo flatus emicuerit, aut è terra in hiatum diſcedente: qui* Turbo *terreſtris eſt tum, cum multus ac contortus ferri cœptus eſt.*

Flatus uero in nube implicitus & craſſa & humida, cõtinuatum nubis ſpiſſamentum uiolenta eruptione perfringens, mugitum edere cum ingẽti fragore ſolet, qui Tonitru *dicitur: modo haud abſimili ſpiritus uehemẽter in aqua impulſi.* Fulgetra *eſt ſpiritus ignitus & coruſcans, dum nubes dirumpitur: quæ tonitru antecedere ſolet: cum tamen poſt ipſum fiat. Siquidem quod oculus percipitur, ei quod auribus obiectum eſt, anteuertere natura comparatũ eſt: quippe illo è longinquo aſpectabili: hoc tum demum exaudibili, quum auribus appulſum ſit: præſertim quando alterum omniũ naturarum celeritate maxima præditum eſt, ignita ſcilicet natura: alterum minus uolucre, quòd eſt naturæ ſpirabilis & aëreæ, nõ antequam aures pepulerit, ad auditum peruenit. At uero quod fulſerit, ſi ad terram uſque curſim illiſum ſit,* Fulmen *uocatur: Sin ſemiuſtum quidẽ, ſed uniuerſum tamen uiolentúmque incubuerit,* Preſter, *hoc eſt accenſus turbo, dicitur. Quòd ſi prorſus ignis nihil interim cõceperit,* Typhon *uocatur: qui eſt uortex procelloſus & euerberans.* Horum *quicquid in terram impetu decubuerit,* Sceptos, *id eſt* Fulmen, *nominatur: qui* Pſolois *dicitur, cum fuliginem contraxerit:* Arges, *ſi raptim emicuerit:* Elicias, *ſi lineari ſpecie conformatus eſt. Scepti dicuntur quæcunque fulmina, in quiduis illiſa ſint.* Ad *ſummam, eorum quæ in aere apparent alia ſpecie tenus exiſtunt: alia etiam habent naturæ ſubſiſtentiam.* Speciem *tantũ exhibent arcus cæleſtes, &* Virgulæ, *aliáque huiuſcemodi.* Subſtantia *etiã apparẽt fulgores cæleſtes, & quos emicantes uocamus: & crinitæ ſtellæ, et iis ſimilia.* Arcus *eſt ſpecies ſegmẽti ſolaris uel lunaris, edita in nube humida & caua & perpetua: quã uelut in ſpeculo intuemur, imagine relata in ſpeciẽ circularis ambitus.* Virga *eſt arcus cæleſtis exhibitio*

bitio in directũ cõformata. Area eſt edita imago ſidereæ claritatis undique illuſtrata, hactenus ab arcu differẽs, quòd ille è regione Solis *ac* Lunæ *uiſendũ ſe exhibet,quũ area ſidus totũ ambitu cingere orbiculari ſoleat.* Fulgor *eſt ignis collectio qui in aere exarſit: per cælum ille quidem aut iaculari ſpecie trãſmeans,aut uno loco fixus.* At *eiaculatio,ignis eſt enatus attritu in aere,pernici motu inuehens, ob eámq; pernicitatẽ oblongã formã ſimulans.*Fulgor *fixus eſt extenſio lõge porrecta, & loco permanẽs,& tanquã profluuiũ ſideris. Quòd ſi in alterã partẽ dilatetur,* Crinita *ſtella uocatur. Sæpenumero autẽ euenit ut fulgores tẽpore multo maneãt: ſæpe ut confeſtim extinguãtur.Complures item & aliæ rerũ formæ cernũtur in cælo apparentium : ut quæ* Faces, *quæ* Trabeculæ, *quæ* Dolia, *quæ* Scrobes *nũcupantur:omnia ab earũ rerum ſimilitudine appellata,unde nomina mutuata ſunt.*Eáq; *partim in occidua mũdi parte,partim in* Oriente *cernuntur:partim etiã ambiguo in utranq; partẽ editu: raro uel* Septẽtrionali,*uel* Auſtrino. *Cæterũ omnia incerta. Quippe nihil huiuſcemodi hactenus proditũ eſt memoriæ ita fuiſſe cõſtabilitũ rato ſitu & cõſtituto,ut ſemper cõſpicuum fuerit.* Atque *huiuſcemodi ſunt quæ in natura animabili aeriáque fiunt.*Iam *uero* Terra *continet etiam ipſa in ſe, ut aquæ, ita ſpiritus igníſque ſcaturigines quarum quædã ſub terra latent,oculis humanis ſubducta: multæ ſpiracula habẽt emiſſariáq; uaporis:ut* Lipara,*ut* Aetna,*ut* Aeoliæ *inſulæ,quæ quidẽ ſæpe & ipſæ fluminũ more fluunt,ignitáſque ferri glebas euomunt.* Nonnullæ *uero huiuſmodi ſcatebræ ſecundum fontes ſitæ, aquas inde manantes calefaciunt, aliquæ inde ut tepentes,efferuefactæ aliæ, quædam modice temperatæ ut emittantur.* Multis *etiam in locis* Orbis, *exitus*

res fiunt à liquoribus terrenis qui intus cõditi ſunt. Proportione his reſpondẽt ea quæ in mari eueniunt. Nam & hiatus fiũt maris, & receſſus: undarũmq; excurſiones, interdũ reciprocãtes, interdum eluuie retro non recurrente. id quod proditũ eſt circa Buram Helicémque contigiſſe. Sæpenumero etiã in mari euaporationes ignis exiſtunt, fontes excaturiunt, oſtia fluuiorum aperiuntur, arbores enaſcũtur, fluxiones & uortices exiſtunt, inſtar eorũ habẽtes quæ à flatibus deſignari dictum eſt non in medio mari modo, ſed etiã in euripis & in fretis. Aiunt etiam multos æſtus undarũmque ſublationes ſtatis quibuſdam temporibus cum Luna circumagi. Atq; ut in uniuerſum dicã, cum elemẽta in aere, in terra, & in mari, cõmoda inter ſe temperatura mixta ſint, nimirũ affectionũ quoq; ſimilitudines iiſdem conſtãt in ipſis: in ſingulis illæ quidẽ naturis ortus alternãtes & interitus, uniuerſitatem uero aſſeruãtes generationis immunẽ atq; corruptionis. Tametſi extiterũt qui ſeſe admirari addubitabundi dicerẽt, qui fieri tandẽ poſſet, ſi è principiis contrariis mundus cõſtitit, ſiccis dico & húmidis, frigidis & calidis, ut iandiu nõ diſſolutus fuerit atq; interierit. Perinde quaſi mirari quiſquã debeat, quonã pacto ciuitas incolumis perduret, quæ è gentibus cõtrariis compoſita ſit, egenis inquã & diuitibus, iuuenibus & ſenio cõfectis, infirmis & ualẽtibus, prauis atq; innocẽtibus. Ignorãtia eſt iſta utiq; hominũ, hoc eſſe in cõcordia ciuili nõ uidentiũ lõge admirabiliſſimũ, quòd ex multis ipſa unũ efficit affectum, & è diſſimilibus ſimilẽ: omnis illa quidem naturæ ſuſceptrix & fortunæ. Atq; haud ſcio an etiã contrariorum appetens ſit natura: ex eiſq; conſona, non item è ſimilibus conficiat. Sic certe ipſa marẽ cum fœmina coniunxit, non etiam cum ſuo horum utrunque ſexu. Quin primã etiam

concordiam.per contraria, nõ per ſimilia deuinxit. Adde quòd ars naturæ æmulatrix hoc idem facit. Siquidem pictura, alborum nigrorúmque colorum, luteorúmque & rubrorum naturas inter ſe attemperans, effigies rerum efficit conſonas exemplaribus. Muſica *acutis & grauibus ſonis, longiſque & breuibus una permixtis in diuerſis uocibus, unum ex illis concentum abſolutum reddidit. Grammatica ex elementis uocalibus & mutis inuenta temperata, artem omnem literaturæ ex illis compoſitam reliquit.* Hócq; *nimirum illud eſt, quod apud* Heraclitum *legitur,* Scotinum *ab obſcuritate cognominatum.* Criſpa*(inquit) & minime criſpa una uinxeris, cõſentiens & diſſentiens, conſonans & diſſonans: unum etiam ex omnibus, omniáque ex uno.* Itaque *uniuerſorum coagmentationem, cæli inquam & terræ, & uniuerſi mũdi, cinno quodam principiorum ſumme contrariorum commode attemperato, natura ipſa digeſsit una eadémque concinna cohærentia: quippe ſiccum humido, calidum frigido, graui leue mixtum, & rectum orbiculari.* Terrã *etiam omnem, omne mare, ætherem,* Solem, Lunam, *& poſtremo totum cælum, uis una per omnia pertinens, certo ordine deſcripſit, concinnéque digeſsit: è diuerſis ipſa naturis atque impermixtis, aëre, terra, igne, & aqua, mundum architectata.* Quúmque *eum etiam globoſa ſuperficie comprehendiſſet: naturas quammaxime contrarias, ueluti edicta concordia & imperata, adſtrinxit ad cõſenſum mutuúmq; cõmercium: cuiuſmodi rerum molitione uniuerſitati ipſi ſalutem machinata eſt.* Huius *autem rei cauſa eſt concordia elementorum.* Concordiæ *porro cauſa eſt æquabilitas, & quòd alterum altero non plus pollet. ad æquilibrium enim adæquant grauia cũm leuibus, calida cũ iis quæ ipſis oppoſita ſunt: natura utiq;*

nos

nos docente in maioribus, æqualitatem tutricem eſſe concordiæ & ſeruatricem, cõcordiam autem mundi eſſe ſalutem, rerum omnium parentis, ac longe omnibus præſtãtis pulchritudine. Nam quæ tandem natura præſtabilior ipſo? Quam enim dixeris cunque, eius utique ipſius mundi pars erit. Nam quicquid pulchritudine præditum eſt, id quaſi gentile mundi, habet cum eo nominis ſocietatem. adeò quod recte atque ordine conſtitutũ eſt, id à mundi nomine cõcinne digeſtũ græco ſermone, conſentaneáq; partiũ compoſitione ſpecioſum eſſe ſignificatur. Ecquidnam eſt autem ſingularũ partiũ, quod cum eo æquiparari poßit ordine quo cæleſtis motus temperatus eſt & conſtitutus? Sole utique & luna, reliquis item ſideribus intra ſpatia ſe mouẽtibus exquiſitißime emodulata à ſeculo in ſeculum alterum. Age ecquæ tandem uices tam ratæ eſſe poſſunt, quàm eſt exacte cõparatus à natura tempeſtatum anni tenor in orbem redeuntium? omnium ille quidem rerum fœcunditate præditus: æſtates deinceps hyeméſque referens temporibus deſtinatis: ſimul dies & noctes inoffenſis uicibus alternãtes: è quibus mẽſes annúſque cõficitur. Ac magnitudine quidem ambitum lõge ſummum complexus, motu pernicißimo circumagitur: claritate ſyncerißima præditus, ui etiam potentiáque fretus exorte ut ſenij, ſic interitus. Hic omnium animantium naturas, tum aquatilium, tum pedeſtrium, tum etiam in elemento ſpirabili uictitantium, ſegregat: iiſque ſpatia uitæ ſuis admetitur motibus. Ex hoc animam ducunt omnia: ab hoc animam habent animantia: ex hoc denique miracula rerum nouarum exiſtunt, quæ ſtatis temporibus efficiuntur. Vis uentorum omniuaga in ſe ipſa confligtatur: Fulmina è cælo cadunt: Pluuiæ procelloſæ atque ſtupendæ ſubitos fragores ẽdunt.

Vnde fit ut & ui humoris expreſſa, & ui ignea difflata cõſti tuatur uniuerſi concordia. Iam uero terra omni genere ueſtita ſtirpium fruticantium, riguiſque exuberans large erumpentibus, trita ueſtigiis animantium quæ in ea paſſim circũferuntur: omnia tempeſtiue proferens ex ſeſe & uegetans, hoſpitalique ſinu excipiens, cum innumeras ipſa rerum formas perferat, ab eiſque multipliciter afficiatur: nihilo ſecius tamen naturam aſſeruat indomitã ſenectute, quãlibet ipſa motibus con tremefacta, undis ſuperfluentibus proluta, incẽdiis denique inflammata, modo hac, modo illa parte ſui. Quinetiam illa ipſa omnia cenſeri merito poſſint incolumitatis eius cauſa cõmode euenire, ſalutémque illi ſempiternam præſtare. Siquidẽ ea motu quaſſata, cõtinuo proſiliunt uenti qui introrſus inſinuarãt: utique ſpiraculis terrarum diſceſſibus patefactis, ut ſuperius dictum eſt. Imbribus etiã tum expurgatur, cum omnia peſtifera in ea abluuntur. Ad ſynceriorémq; conſtitutionẽ ſuper ſubtérq; tum reducitur, quũ auris perſpiratur. Et conflagrationes quidẽ quod cõcretius eſt terra, cõcoquũt: cõgelationes itẽ quod inflammatũ eſt, id attẽperant ipſæ atq; remittũt. Ac ſingularũ quidẽ rerũ aliæ oriũtur, aliæ uegetãtur, & aliæ occĩdũt: cũ interim ortus cõpeſcãt graſſanteis interitus, rurſúſque interitus rerum leuẽt ortus exuberãteis. Vnica uero ex omnibus cõflata incolumitas permanet ipſa in æuũ: cũ inter ſe rebus ex aduerſo obſiſtẽtibus, & cedẽtibus uiciſſim atq; præualẽtibus, uniuerſitas cõſeruetur in ſempiternũ, noxam nullã cõtrahẽs. Reſtat ut ſummatim de cauſa diſſeramus, quæ cũctarũ ipſa rerũ uim habet tutricẽ & cõtinẽtẽ: queẽadmodũ cætera perſtrinximus. Flagitij enim inſtar eſſet, cũ de mũdo dicere inſtituerim, tractatu ſi minus exquiſito fortaſſe, at certe qui ſat eſſe poſſit ad formulã

doctrinæ

doctrinæ craſsiorẽ, intactam præcipuã mundi partem principẽmq; præterire. Vetus igitur ſermo eſt, à maioribúſq; proditus inter omnes homines, uniuerſa tum ex Deo, *tum per* Deũ *cõſtituta fuiſſe atq; coagmẽtata: nullámq; naturã ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quæ citra* Dei *præſidiũ ſuæ ipſa demũ tutelæ permiſſa ſit.* Quocirca ueterum nonnulli eo uſq; *prouecti ſunt, ut hæc omnia dictitarẽt* Deorũ *eſſe plena: haurirìq; eorũ ſpectra ab hominibus oculis & auribus, reliquiſque ſenſibus: ſententiæ illi quidẽ fundamenta iacientes diuinæ fortaſſe potentiæ, nõ itẽ diuinæ naturæ cõgruentis.* Etenim *cunctorũ quæ rerum natura complectitur, cum ſeruator eſt* Deus: *tum uero quæcunque in hoc mundo quoquo modo perficiũtur, eorum omnium idem genitor eſt: non ſic tamen, ipſe ut opificis in morem, animaliſque laſsitudinem ſentientis, labore affici poſsit: ut qui ea facultate utatur, quæ nulli cedat difficultati. cuius ipſe ui facultatis omnia in poteſtate cõtinet: nec minus etiam quæ longius ab ipſo uidẽtur eſſe ſummota. Summam igitur & primam ſedem mundi ſortitus, ea de cauſa* Hypatus, *quaſi ſupremus appellatus eſt: & (ut inquit* Poeta) *in ſummo culmine uniuerſi cæli ſuum habet ipſe domicilium ſitum & collocatũ.* Maxime uero uim eius *ſentit, numinéque eius ante omnia fruitur id corpus, quod proxime eum ſitum eſt: tum quod ſecũdum ab hoc ſitum habet: & unumquodque deinceps, prout ſituum ordo ad noſtrum uſque locum natura cõſtitutus eſt.* Quo *fit ut & terra & terrena omnia, q̃ longiſsime ab diuinitatis adminiculatione abſcedunt, tã infirmitate ſumma ſint ipſa, cõcinnitatíſq; ſibi cõſentaneæ maxime expertia: atq; ideo multo tumultu exagitata. Atqui cum ita ſit numen diuinum natura ſua comparatum, quoquo ut uerſus permeet: nimirum ea in*

quibus ipſi uerſamur, ac nobis ſuperiora, pro eo quantus eſt acceſſus ad Deum,*uel abſceſſus ab eo,eius opitulationem quoque ſentiunt.* Proinde *id præſtabilius eſſe cenſemus,* Deóque *tũ decentius,tum magis conſentaneum,ita de eo opinari,ut dicamus,poteſtatem illam in cælo ſedes ſuas habentem, incolumitatis cauſam rebus uniuerſis præſtare,iis quoque quæ longius ab ea remota ſunt:*Nec *illis aſſentiri,qui eam ipſam poteſtatem per omnia pertẽdentẽ,& uentitantẽ ad ea quoq; quæ nec adire ipſam honeſtũ eſt,nec dictu ſpecioſum,ſua illic opera efficere cõtẽdũt,réſq; terrenas adminiſtrare.*Atqui *ne ex hominũ quidem principum dignitate eſſe dixeris, cuilibet operi incumbere:ut(uerbi gratia) exercitus ducis, aut urbis præfecti, atque etiam domus primarij diſpenſatoris,ſi faſciculum ſarcinarium componere,aut uiliorem aliquã operã obire uſu uenerit ut neceſſe ſit, cuiuſmodi munere, magni* Regis *tempore,ne quoduis quidẽ mancipiũ eius facile obiuiſſet.* Quippe*(ut proditur) uiſenda quædã ſpecies* Cambyſis,Xerxis,*&* Darij *regnantiũ,in exquiſitũ maieſtatis faſtigiũ exornata erat,cõpoſitáq; magnifice,omnibúſq; numeris uenerationis auguſta.* Et *q̃dẽ(ut fama eſt)* Suſis *ipſe aut* Ecbatanis *ſedibus collocatis, procul hominũ cõſpectu regiã ſane admirãdam obtinebat,ambitu ſeptã auro, electro,eboréq; fulgenti:cui ueſtibula multa erant atriáq; continentia:multæ uero ianuæ, multorũ ſtadiorum interſtitiis ita dimenſæ inter ſe atque diremptæ, ut aditus æneis foribus muriſque magnis obſtructi atque muniti eſſent.* Tum *autem uiri principes & lectiſsimi in ſtationes digeſti erant atque decuriati recte atque ordine:pars munere ſtipantium regem ipſum fungentes,eique famulantium: pars cuſtodes circa ſepta regiæ appoſiti,(ianitores emiſſarióſque appellabãt)cum interim* Rex *ipſe,*

ipſe, qui idem Dominus *Deúſque uocitabatur, omnia & uideret & audiret. Ab his item erant alij uectigalium quæſtores obuentionúmque conſtituti: alij duces tum bellici, tũ uenatores: alij coactores munerarij: alij denique munerum reliquorum curatores, prout uſus ratióq; adminiſtrandarũ rerum ferebat.* Tum *autem uniuerſum* A*ſiæ imperiũ,* Helle*ſponto quidem ab occidentis partibus terminatũ,* I*ndia autem ab* Orien*tis, regunt pro poteſtate* Prætores, Præfecti, & Reguli, *ſerui regis ipſius qui magnus appellatur.* Curſores *etiã, exploratoréſq;, ſtatores, & cuſtodes ſtationarij, & deniq; ſpecularij excubitores.* Quorũ *erat ipſorum is apparatus, ea deſcriptæ collocationis ratio: tam rato ordine uices munerum cõſtitutæ: & præſertim eorũ qui ignes edere prænũcios, & tollere è ſpeculis ſoliti ſunt, deinceps in aliã illi quidem ex alia dantes accipientéſq; ſignum in orbem: abuſque finibus imperij aduſq;* Suſa & Ecbatana, *quicquid rerũ nouarum quiſquã in* A*ſia moliretur aut inceptaret,* Rex *ut ipſe uno die reſciſceret.* Atqui *ſtatuere nos oportet, magni ipſius* Regis *faſtigiũ, præut quidem eſt* Dei *eminentia, qui pro poteſtate* Mundum *tanquã prouinciam obtinet, tam eſſe infimũ, quàm eſſet ſummũ hoc ipſum* Regis *faſtigium, ſi cum animãte quodam uiliſsimo atque infirmiſsimo componeretur.* Quapropter *ſi è dignitate regis haudquaquam eſſet,* Xerxem *functione propria adminiſtrare omnia & abſoluere quæcũq; facta cuperet, ne ipſum quidẽ operibus faciendis inſtantem, curatoris operum officio perfungi: longe id nimirum minus* Deo *conuenit.* Quare *auguſtius id decentiúſque exiſtimandum eſt,* Deum *ſummo in loco ita eſſe collocatũ, numinis ut tamen eius uis per uniuerſum mundum pertinens, tum* Solem Lunámq; *moueat, tum cælum omne circumagat:*

ſimúlque cauſam præbeat eorũ quæ in terra ſunt, ſalutis atque incolumitatis. Neq; *uero illi ipſi itidem ut principibus mortalium, opus eſt aut artificioſa molitione, aut alieno miniſterio: quando ij propria infirmitate præditi, operarum decurias rebus conficiendis, & numeroſas manus adhibent.* Illud *autẽ diuinitati maxime conſentaneum, ut formas rerum omnium citra difficultatem ſimplicíque motu abſoluat: non ſecus atque illi machinatores ſolent, qui inſtrumento uno demittẽdo multos & uarios effectus edunt: aut ut illi præſtigiatores faciunt, quos* Neuroſpaſtas *ob id appellant, quòd imagunculas animatas eſſe fidiculis ductitandis ementiuntur: qui cum funiculum ipſi aut neruum adduxerunt, cieri ceruicem & manum quaſi animantis ſimulachri, humerúmque itidem & oculum faciũt, interdum etiam omnia membra: ídq; quadam cum uenuſtate atque æquabilitate motus.* Hoc *igitur modo natura diuina ab uno eodémque ſimplici motu primo uim ſuam immittit in ea quæ ſunt primo continentia, ab illíſque ſubinde in ea quæ longius atque longius abſunt, quoad permeauerit per uniuerſa.* Q*uippe alterum ab altero motum, rurſus ipſum quoq; aliud mouet cum mundo: quum unumquodque interim agat conuenienter conſtitutioni ſuæ, nec tamen eadem ſit uia omnibus, ſed diuerſa, nonnullis etiam contraria: tametſi primus illis uelut ad concentum atque æquabilitatem auſpicatus, natura ſit comparatus ad unum motum: ſimiliter atque ſiquis ex eodem uaſe ſimul iaciat globum, teſſeram, turbinem, & columellam. nempe unumquodque eorum accommodate ſuæ formæ mouebitur. Aut ſi quis animal unum aquatile, aliúdque terreſtre, & aliud uolucre, è ſinu ſuo emittat. planũ eſt enim quòd natatile eo proſiliens enatauerit, ubi ei commodum eſt uictitare:*

terreſtre

terreſtre ad ſuas ſedes, paſcuáq; ſua erepſerit: at aërium è terra ſublimè raptum euolauerit: una utique eadémque prima cauſa propriam eorum unicuique aptitudinem reddente. Ea*démque ratio eſt in mundo. Si quidẽ ab una cæli uniuerſi conuerſione, quæ die noctúque finitur, aliæ atq; aliæ permeationes fiunt. Quúmque uno omnia coerceãtur globo, pars tamen celerius pars mouetur tardius: nimirum interuallorum longitudine & ſingulorum opificio eam differentiam efficiente.* Et Luna *quidem menſe ſuum peragit orbem, augeſcens uiciſsim, imminutáque & tabeſcens. Sol anni ſpatio ſuum orbem metitur, & qui eum æquant curſu* Lucifer *&* Mercurius. Pyrois *ſpacio altero tanto maiore.* Iouis *ſtella ſpacio* Pyroëntis *ſexcuplici.* Vltima, Saturni *quæ dicitur, tempore ſeſquiplo maiore, quàm quantum eſt id quo circumagitur illa quæ infra ipſam eſt proxime. Qui uero ex omnibus concentus exiſtit conſonãtibus in cælo, chorúmque conficientibus: ut ex uno ille quidem oritur, ita in unum deſinit.* Vniuerſ*úmque ipſum commodius* Coſmon *nominaueris, id eſt cõpagem rerum compoſitam, concinnóque ordine digeſtam: quàm acoſmiam, id eſt congeriem confuſam & inconditam. Quemadmodum porrò fit in choro, ut auſpicanti præſuli aut præcentori accinat omnis chorus è uiris interdum fœminíſque compoſitus, qui diuerſis ipſi uocibus, grauibus ſcilicet & acutis, concentũ attemperant: eandem ipſi rationem ſtatuimus & in* Deo, *qui uniuerſum mundum moderatur & regit.* Et *ſidera enim ſemper, & uniuerſum ipſum cælum, eos ad numeros mouentur, quos* Deus *ſurſum quaſi auſpicando præcinendóque emodulatur: quem à ſi-*

minis autem itineribus Sol ingreditur, lumine ſuo cũcta quoquouerſus colluſtrans: diem noctémque altero itinere diſterminans, ortu ſuo ſcilicet, & occaſu: altero quatuor anni tempora ſecum ductitans, ultro citróque per cælum perreptando, nunc Aquilonius ipſe, nunc Auſtrinus. Quid dicam pluuias tempeſtiuè exiſtentes, uentos & rores, omneiſque permotiones quæ in aëre eueniunt à principe rerum cauſa atq; primordiali? Adde fluminum lapſus, maris æſtus intumeſcentis, enaſcentium arborum incrementa, frugum maturitates, fœturas animalium: denique uegetationes rerum omnium adoleſcentium primùm, deinde tabeſcentium, eodem accedentibus cauſis (ut dictum eſt) à conſtitutionibus ſingulis rerum atque opificiis. Itaque ille omnium princeps parénſque, animi tantũ ſenſu ſpectabilis, ſimul ac ſignum naturis dedit inter cælum terrámque uehentibus: earũ unaquæque in orbibus ſuis iugi motu cietur, atque intra ſuos limites, alternis condita atque apparens: ſexcentas illa formas eodem à principio exhibens, uiciſſímque ſubducẽs. Quod uerò in hiſce rebus agitur, magnopere ſimile eſt iis quæ belli tẽpore inter homines factitantur. Nanque ſtatim ut claſſicum exaudiri in exercitu cœptum eſt: alios ipſe uideas ſcuta ſibi aptantes: loricam alios induentes: alios ocreas uel galeam ſumere, uel balteo ſe cingere feſtinanteis. Rurſus uideas qui frenatos equos admittãt: alios qui currus conſcendant: qui denique teſſeram per explicatam aciem prodant. Tum manipuli ductor, ad manipulum: Centurio excurrit ad centuriam. Poſtremò equites ad cornu: uelites ad ſtationem quiſque ſuam feſtinant: cum interim ſub uno ductore omnia moueantur: qui imperia & ipſe ſignificanda accepit ab eo apud quem ſumma eſt imperij. Eodem nos & ipſos modo

do cenſere conuenit de uniuerſo. Quum enim ab una ui impultrice cieãtur omnia: ſit utique quod cuique commodum eſt & conueniens. Nec *uerò ſi ea uis ipſa nec cerni ab hominibus, nec apparere poteſt: quoquo pacto id obſtat, aut illi ad ea quæ diximus agenda, aut nobis ad fidem hiſce rebus accommodãdam.* Nã *& anima ipſa qua uiuimus, qua urbes, qua domos habitamus: cum haudquaquam ſub aſpectũ noſtrum ſita ſit, operibus tamen ipſis uidetur: omníſque uitæ cultus nitórque ut ab ea inuentus eſt & deſcriptus, ita ex ea tenorem ſuum ſeruat:* T*erræ cultura & conſitio, artium excogitationes, uſus legum,* R*eipub. rectè atque ordine cõſtitutæ ratio, adminiſtrationes ciuiles, bellum extra fines patriæ, & rurſus pax in ea.* Proinnde *hæc etiam de* Deo *ſentienda nobis ſunt: illo quidem, ſi uim ſpectes, ualentiſsimo: ſi decorem, formoſiſsimo: ſi uitam, immortali: denique ſi uirtutem, præſtantiſsimo. Quapropter cum ſit inconſpicabilis naturæ omni interituræ: ipſis nihilo ſecius ipſe cernitur ab operibus.* Atque *ea quidem quæ in aëre fiunt quoquo modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certè* Dei *opera eſſe merito diximus:* Dei *inquam opera, cum imperio ſummo* Mundũ *ac pro poteſtate obtinentis.* Ex *quo* Deo, *ut inquit* Empedocles *phyſicus,*

» O *mnia quotquot erunt, quot ſunt præſentia, quótque*
» O *rta fuere antehac, ſtirpes, hominéſque, feræque,*
» I *nde etiam uolucres, piſcéſque humoris alumni.*

Enimuero *nõ tam abſurda quàm puſilla comparatio (ut opinor) fuerit, ſi* Mundum *cum illis lapidibus componamus, qui in operibus fornicatis, forficis in modum diſpanſi conformatis*

ſtura arcuata pandatur,quaſiq; oneri cedit:in cohærẽtia continent,atque in conſtructione ordinata totam formam operis, immobilémque aſſeruant. Fama *eſt etiam* Phidiam *illum ſtatuarium,quum* Mineruam *illam quæ eſt in arce,coagmentaret,in medio eius ſcuto faciem ſuam expreßiße,oculóſq; fallẽti artificio ita deuinxiße ſimulachro, eximere inde ut ipſam ſiquis cuperet,minime poſſet, aliter quidẽ certè, quàm ut ipſum ſolueret ſimulachrum, opúſq; eiuſmodi cõpactile confunderet.* Hanc *eandem igitur rationẽ* Deus *habet in mũdo: utpote qui uniuerſorum coagmentationẽ coherentem cohibeat & coarctet,incolumitatémque uniuerſitatis conſeruet: niſi quatenus non medio ille loco, in terra ſcilicet,ubi turbidà regio eſt: ſed in excelſo ſitus eſt, purus ipſe in puro loco.* Quem *locum tum* Vranon *ab origine uocis dicimus, quaſi terminum extimum ſupremorum corporum:tum etiam* Olympum,*ut uſquequaq; lucidum,ab omni caligine ſecretum, motúq; omni incondito, cuiuſmodi ſunt qui apud nos uenti fiunt & tempeſtates*. Id *quod his uerbis ſignificat* Homerus:

E *ſſe ſolum diuis ſubnixum ſemper* Olympum
F *ama eſt,haud uẽtis tremefactum,haud imbribus udum,*
A *c procul à niuibus ſubductum:nubibus illinc*
S *plendida ſummotis candénſque expanditur æthra.*

Huius *autem rei elogium eſt mortalium conſenſus, regionem mundi ſummam non dubiè* Deo *tribuentium.* Quam *ob cauſam ipſi manus tollimus ſurſum inter uota concipienda.* Qua *ratione nec male illud quoque ab eodem poëta pronũciatum:*

C *ælum ſorte tulit ſimul æthera* Iuppiter *altum.*

Quin *etiam quæ maximè eximia ſunt inter res ſenſu perceptas,eundẽ illa locum obtinẽt:ut ſidera,ut* Sol & Luna. Vnde

ſit

ſit ut cæleſtia cõcinno ordine digeſta, ſuas ipſa uices conſeruent perennes & conſtitutas, nulliq; obnoxias mutationi: longe illa ſecus atq; terrena: quæ ita natura cõparata ſunt, ipſa in alias ut ex aliis affectiones tranſeãt, fieriq; identidẽ altera atq; altera nõ reſpuãt. Certè contigiſſe aliquãdo conſtat, ut terræmotus uiolentia, terra ipſa multis in locis diſceſſerit, indéq; hiatus extiterint: ut imbres ui maiore ruentes, diluuiũ in terrã intulerint: ut excurſiones undarum receſſusq; tum cõtinentes mari obruerint ſæpenumero, tũ rurſus maris alueos adiecerint cõtinentibus: ut uis flatuum & uorticũ oppida funditus diſturbarit: denique ut incendia atq; inflãmationes aliquæ supernè delapſantes, partes orbis exuſſerint uerſas ad Orientem: ut Phaëthontis tẽpore contigiſſe dicitur: quædam etiam ut è terra erumpentes, ueluti expirabundæ idem fecerint: ut quũ crateres Aetnæ abrupta terra patefacti, conflagrationẽ emiſerũt inſtar torrentis per terram graſſabundam. Quo tempore qui è mortaliũ genere pietate erant imbuti, ij à numine diuino eximio honore ingentiq; affecti ſunt. Siquidem iuuenes & robore ualentes, cũ parẽtes ſuos ætate iã cõfectos humeris ſuſtuliſſent, igneo flumine iamiam opprimẽdi, in eo erãt ipſi ut interirent: cum ecce flumen ipſum ita ſe ſcidit, ut huc & illuc diuerſi fluctus digrederẽtur, iuuenéſq; intactos cum ſenibus tranſmitterẽt. Vt uero ſummatim iã loquamur: quod in naui gubernator eſt, quod in curru agitator, quod in choro præcẽtor: quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu: hoc Deus eſt in mundo. Niſi ſi hactenus intereſt, quòd labor & motus multiplex illos exercet, & curæ angunt uariæ: cũ huic illaborata ſuccedãt o-

circumagere pro arbitratu liceat quo libitũ eſt cunq;, & quo modo libitum eſt, idq; diuerſis in formis ſimul atq; naturis. Id *autẽ ratione ſimili facit ille, atq; lex ciuilis: quæ immobilis ipſa exiſtẽs in utentiũ animis, regit omnia ad* R*emp. pertinẽtia.* E*t ciues quidẽ quaſi eius aſſeclæ in medium prodeũt: qui autẽ* P*rincipes uocãtur, ad prætoriũ ſe cõferũt:* L*egiſlatores ad propria tribunalia:*S*enatores deniq;, & qui* C*õcionatores dicũtur, ad conſeſſus ſibi cõtributos cõueniunt.* R*urſus is in* P*rytaneum it, cui ſcilicet id datũ eſt, in eo ut publico uictu epuletur. alter rapitur ad iudiciũ, cauſam ut ibi dicat: in carcerẽ alius cõpingitur, ut ſupplicio afficiatur illic.* T*um uero epulones in ciuitate celebres ad epulas legitimáſque conueniunt.* I*am uerò aguntur dies feſti, iam ludicra ſolẽnia: iam anniuerſaria ſacrificia fiunt diuis, heroéſque ritu ſuo coluntur: poſtremo inferiæ mortuis inferuntur.* S*ic alia ab aliis facta uno uel imperio, uel legis una authoritate, aſſeruant eum qui obtemperat.*

S *ic urbs ſimul plena eſt uaporibus ſacris,*
R *eſonátque cantibus pijs ac luctibus.*

H*oc idem de urbe quoq; maiore, de hoc inquã mundo, exiſtimare debemus.* D*eus enim nobis lex eſt: in omnem illa quidem partẽ ad æquilibriũ uergens: nullã correctionẽ admittẽs, nullam uarietatẽ: quippe quæ potior ſit illis legibus, & ſtabilior, quæ in tabulis perſcriptæ ſunt.* E*ius enim auſpiciis perenniter & compoſitè praeuntis, uniuerſus hic cæli ordo regitur atque adminiſtratur, numeros omnes cõcinnitatis habens: in omneis ipſe naturas partitus pro uniuerſitate ſeminũ, in ea quæ hærẽt ſolo, atq; in animãtia: quæ etiã ſuis ipſa generibus formiſq; diſtincta ſunt.* N*am & uites fiunt & palmæ, & perſeæ, ficíque dulces, & oliuæ: ut inquit* P*oëta:* T*um quæ fructus expertes,*

alios

*alios uſus præſtant,platani,pinus, buxi,alni,populus etiã nigra & cupreſſus odorata:*Tum *quæ autumni tẽpore fructum ſuauẽ fundunt,ſed cõditu difficilẽ,pyri, punicæ, mali.* At *uero animãtium aliæ feræ ſunt,& aliæ cicures:tũ in aëre,tum humi,tum in aqua uictitãtes:oriunturq; & inualeſcunt, & deinde intereunt, legibus obtẽperãtes diuinis atq; cedẽtes.* Omne *enim reptile(ut inquit* Heraclitus*) terrã depaſcitur atq; poſſidet.*V*nus porrò* Deus *cum ſit, pluribus nominibus appellatus eſt:ab iis utiq; ſuis omnibus effectibus denominatus, quorũ ſpecimẽ edere ipſe ſolet.* Atq; *eum quidẽ tum* Zena, *tũ* Dia *uocant,inter ſe cõpoſitis utentes nominibus,atq; è regione collocatis: tãquam duabus his uocibus ſignificare uelint,per quẽ uiuimus.* Is Crono, *id eſt* Saturno,*& chrono id eſt tẽpore ortus eſſe dicitur:nimirũ ab æuo ſempiterno ad alterũ æuũ pertinens.*Vocatur *&* Fulgurator,*&* Altitonãs,*&* Aetherius,*&* Fulminator,*&* Pluuius:*à pluuiis utiq; & fulminibus,aliiſq; operibus,è quibus uocabula ipſa deducta ſunt.*Quin *&* Frugipotẽs *& cuſtos urbium uocitatur,&* Natalitius, Septitius, Cortalis,Gentilitius *&* Patrius:*uidelicet à communione quæ diuino ipſi numini iis cum rebus intercedit.*Ad hæc Sodalitius *& amicitiæ præſes, tum* Hoſpitalis, Caſtrenſis, Trophæalis, Expiator,Saguinarius,*& ſupplex & placabilis, ut poëtæ loquuntur: deniq;* Seruator *dicitur &* Aſſertor:*& ut ſemel omnia cõplectar,*Cæleſtis *&* Terrenus:*ab omni natura ſortéq; nomen adeptus,utpote qui omnium rerum author ſit.*Quam*obrẽ quæ de ipſo in* Orphicis *carminibus dicta ſunt,haudquaquam perperã dicta ſunt.*Equidẽ *neceſſitatem ipſam etiã nihil*

Digitized by Google

Imarmenen,id eſt fatũ,dictũ à ſerie rerum cõſerta,inoffenſóq; tenore procedente. quod alio nomine Pepromenen *ideo appellauerunt, quòd ab eo omnia terminata ſunt, ac nihil in rerum natura infinitum eſt. Quin &* Mœran, *id eſt ſortẽ, appellatũ eundẽ* Deum *à partitione rerum dixerim: &* Nemeſin, *quaſi poteſtatẽ diuinã, eius quod uiſum eſt cuiq; diſtributricẽ:* Adraſtian *etiã, quaſi cauſam quandã natura cõparatã, quã fallere nemo queat aut uitare.* Aeſan *deniq; dictũ, quaſi ſemper exiſtentem.* Iam *quod de* Parcis, *& de fuſo proditũ eſt earũ, eodẽ id etiam quodammodo pertinet.* Siquidẽ *tres parcas priſci tria in tẽpora partiti ſunt: filúmq; fuſi partim iam peractũ, partim futurũ, partim iam intorqueri dixerũt: earum unam ſtatuentes in eo quod iam profligatũ eſt: quã* Atropon *ideo nuncuparunt, quoniã ea quæ iam præteriere, retrorſus agi nequeũt.* At Lacheſis *functio futuris deſtinata eſt: omnium enim quæ ſecundum naturã ſunt, ſors ſua quodque manet.* Præſentibus *autem rebus aut inſtãtibus* Clothus *opera attributa eſt, quæ netu unicuique cõficit quod ſuum eſt.* Hócq; *fabulamentum rectè atq; ordine cõpoſitum eſt.* Proinde *hæc omnia non aliud quicquam quàm* Deum *eſſe, planum eſt: ut eximius* Plato *cenſuit.* Enimuero Deus *(ut eſt uetuſto uerbo proditum) principiũ & finem, & media rerũ omnium tenens, rectáq; linea incedens, operatur ille quidẽ ſecundum naturã, è ueſtigio comitẽ habens iuſtitiæ præſidẽ, quam* Dicen *nominauerunt, diuinæ legis uindicem, ſimul ut quicquam ſanctionum eius prætermiſſum eſt.* Cuius *ut ſit particeps numinis, iam inde oportet ab initio, qui ad uitam beatam euaſurus eſt atque felicem.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.